

DISSERTATIO HISTORICA.
DE
CONR. KAVFFVNGO.

APHOR. I.

CONRADVS KAVFFVNGVS, (α) nobili genere in Osterlandis (β) natus, et imprimis in aula Friderici II. Saxonum Electoris conspicuus, (γ) tantam omnibus sui suarumque uirtutum admirationem iniecit, ut nulli praestantissimorum suae aetatis Heroum uel pacis, uel belli (δ) artibus cessisse uilus sit.

(α) Appellatur is alias ab *Aenea Syluio Conradus Raufes*, quem tamen *Freherus* T. II. *Rer. Germ.* p. 70. supponendo *Conradum de Kauff* in glossa marginali corrigit. Postremam hanc nominis significationem retinent *Paulus Langius in Chronic. Citizenf.* apud *Pistorium* T. I. *Rer. Germ.* p. 865. *Huldrichus Mutius* apud eundem T. II. p. 301. *Naclerus Chronogr. Vol. II.* p. 1097. *Spangenbergius* im *Adel Spiegel* P. II. L. XI. c. 31. p. 220. *Sebast. Francus* im *Deutschen Chronico* p. 256. excepto *Bothone*, qui in *Chronico Brunswicensi picturato* apud *Illustrem Leibnitium* T. III. *Scriptor. Brunswicens.* p. 400. nostrum *Canze van Kauffinge* uocat. Ceteri communem appellandi notionem seruant.